

juste spoliati, nichil omnino repetent a nobis, nec a nostris subditis aut ballivis; sed penitus condonantes remiserunt sub hac forma: Videlicet quod nos de cetero dictis fratribus, vel eorum Jobagionibus ac hominibus super terram ipsorum degentibus aut morantibus, nullas inferamus iniurias vel iacturas, nec a nostris subditis permitamus irrogari. Ceterum ad maiorem hujus rei constantiam et observantiam habendam firmiorem, obligamus nos spontaneo nomine, nostrorumque pariter nomine successorum, quod libertates ac immunitates concessas eisdem fratribus, tam a nobis, quam a predecessoribus nostris Regibus Ungarie seu Ducibus Slavonie, iuxta suorum tenorem privilegiorum ac indulgentiarum seu confirmationum sancte Romane ecclesie et sacrosancte sedis apostolice obtentorum, firmas, stabiles et illibatas perpetuo teneamus in omnibus conservare, tam super descensibus, quam super aliis universis exactionibus superscriptis, que nostro dominio possent ad usum nostrum et fiscum Regium provenire. Confitemur etiam, quod nichil harum, que prescripte sunt, exactionum habemus in ipsos fratres, vel super terram ipsorum recipiendi vel exerendi potestatem, quia potius a premissis omnibus tam ipsi fratres, quam eorum homines liberi sunt penitus ac immunes. Promittimus insuper bona fide in verbo Regie veritatis et constantie pro nobis ac successoribus nostris, tenori privilegiorum dictorum fratrum in nullo de cetero contraire, nec ipsos aut ipsorum homines per nos, aut per subditos nostros quoscunque permittemus casu quolibet molestare: sed terras ac possessiones, quas habent ex donatione predecessorum nostrorum in nostro dominio, de quibus extiterunt hactenus spoliati violenter, prout in ipsorum privilegiis continetur, plenarie restitui faciemus. Verum si, quod absit, per hostis humani generis fraudulentam nequitiam casu quolibet contingente proveniret, quod nos sepe dictis fratribus, vel eorum hominibus dampna vel iniurias aliquas personaliter inferremus, vel a nostris subditis permetteremus, et contingeret irrogari eorum libertates infringendo, vel contra ipsorum privilegia temerarie venire presumendo, et super hoc requisiti a Magistro sive fratrum suorum quolibet, iustitiam plenariam et maturam sine mora, dispendio vel dilatione qualibet nollemus condignam eisdem exhibere; Nos predictis fratribus dampna et iniurias eisdem vel eorum hominibus a nobis, vel a nostris subditis recenter illatas, nec non et dampna que prius habuerunt ac sustinuerunt ratione possessionum et terrarum, quas ab ipsis prius, sicut dictum est receperamus, que dampna remissa fuerant nobis ac subditis nostris, nos de bona voluntate nostra ac beneplacito nostro plenam ac liberam concedimus repetendi ac requirendi facultatem, tam a nobis, quam a subditis nostris, coram venerabili patre . . . Dei gratia Quinqueecclesiensi Episcopo quicunque pro tempore fuerit substitutus, eo iure et integritate, nec non et eadem auctoritate, quam prius obtinebat cum collegis suis per autenticum a domino papa delegatum, ita duntaxat, quod prefatus Quinqueecclesiensis Episcopus nos ac subditos nostros ad satisfactionem condignam ac restitutionem tam possessionum quam dampnorum prius vel posterius habitum per censuram ecclesiasticam valeat compellendo coercere. Ad maiorem quoque rei huius roboris firmitatem obligamus nos et successores nostros ad observationem omnium prescriptorum, supponentes nos ac successores nostros obligantes spontanea voluntate iurisdictioni dicti venerabilis patris . . . Dei gratia Quinqueecclesiensis Episcopi, quicumque pro tempore fuerit in posterum substitutus, quod ipse Episcopus per censuram ecclesiasticam in eadem forma, que sibi ac collegis suis exe-